

1485 *leum.* Ac cum his jussit illi instrumenta afferri, quibus eum usum, non multo post ad supplicium Venetias misit. Ferunt Canalem non minus Porco infensum fuisse, quam illum Venetis. Quippe qui superiore anno, quum ad Comaclum præsidio esset, ab eo subito incursu oppressus, Ferrariam captivus perductus est. Hæc circa Padum.

*Marcellus  
Gallipolim  
oppugnat.*

Marcellus autem, maritimæ classis imperator, Corcyra sub veris exitum profectus, Gallipolim oppugnatum ire pergit. Est id oppidum in brevi peninsula, ea parte situm, qua maxime Calabria in Ionium mare excurrit, Hadriaci fere & Ionii confinium: Senonum eam oram Plinius fuisse ait, a quo loci nomen non omnino abhorret. Habebat Veneta classis naves sex & quinquaginta, in quibus erant triremes sexdecim, onerariæ quinque. Cum his Venetus Gallipolim adortus, non prius vim inferre statuit, quam oppidanorum tentarentur animi, possent ne suadendo monendoque eo adduci, ut voluntariam facerent ditionem. Sed quum nihil inde pacati redderetur, tum navibus circa littora appulsis, militum pars in terram exponitur, pars e navibus hostem telis laceffunt. Oritur utrinque laboriosum certainen: hortatur remiges sociosque navales Marcellus ex prætoria na vi, munitiones intrepide subire jubet. Parent illi imperatoris dicto: per tela, per saxa machinis excussa in hostem eunt: Dominicus Delphinus, Alovius Garzonius, Constantinus Lauretanus, Thomas Dodus, ac plerique alii triremium præfecti ante alios inventi, hostem mirum in modum fatigant. Et jam non sine multorum cæde Venetus scalas muro applicuerat, aliquique muros scandere occuperant, alii rescindere adorti erant: quum Marcellus ex prætoria puppi fortissimum quenque appellans, signis & voce ut muros occupent, hortatur: increpat etiam, si quem intuitus esset minus strenue pugnam ciere: quodam ad hæc in summum evadentes, clamore adjuvat: ac denique dum imperatoris optimi munere defungi studet, tormento iæsus repente concidit. Vedit eum cadentem Sagoninus scriba, subitoque pallio opperuit: inde caderere in occultiorem locum translato, suos ut pergent vincere

*Tormento  
iæsus mori-  
ens.*